

si Sacerdos non possit de omnibus absolvere penitentem, tamen tenetur penitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscatur, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat. Igitur potest Confessarius in præfato casu absolvere modo explicato penitentem, remittente eum ad Superiorem pro directa absolutione reservatorum.

396. Inq. 2. Quæ differentia adsit inter peccata absoluta ratione articuli mortis, & ratione periculi infamiæ? R. Quod prima manent directe absoluta sine onere comparendi, dum sunt reservata sine censura: secunda vero manent absoluta indirecte cum onere comparendi, & confitendi Superiori. Idem est de oblitis, aut inadvertenter absolutis. In hac controversia P. Cuniliati bis retractavit sententiam, reprobando in secunda editione primam negativam, & in tertia secundam affirmativam. Hinc apparet quam incertæ sint cogitationes hominum, & inerte providentiæ nostræ: hodie enim approbamus, quod heri reprobavimus, & e converso. Ideo autores qui pio, & modesto calamo scripserunt, non sunt despiciendi, & minus acriter objurgandi; dixerunt enim, quod præ tunc rationabile esse eis visum fuit. Verumtamen decretum a S. Congreg. 7. Decemb. 1602. jussu Clem. VIII. editum, & de verbo ad verbum a Donato tom. 2. tract. 11. q. 17. n. 2. exaratum, quo trepidavit citat. P. Cuniliati ad desserendam sententiam D. Thom. quam in secunda editione amplexatus est, eo præcisse tendit, ut reprobet opinionem Dicastilli, aliorumque Doctorum, tunc temporis asserentium, posse regulares, aliosque Confessarios privilegiatos absolvere de omnibus reservatis in casu necessitatis celebrandi, vel communicandi, eo modo, ac in mortis articulo taliter quod penitens non teneretur ad iteratam reservatorum confessionem. De indirecta vero absolutione, nec verbum reperitur in decreto, in hac enim semper manet obligatio ad Superiores accedendi pro absolutione directa, & pœna reservatis debita, quod Pontifex intendit contra Doctores oppositum præsumentes; ait enim: Pa-

non possit de omnibus absolvere penitentem, tamen tenetur penitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscatur, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat. Igitur potest Confessarius in præfato casu absolvere modo explicato penitentem, remittente eum ad Superiorem pro directa absolutione reservatorum.

nitentes ad Superiores, legitimosque iudices suos accedere consulant sub pœna excommunicationis. Ad quid ergo trepidatum cum decretum præcise reprobet directam absolutionem in casu necessitatis extra articulum mortis, prætextu facultatum, privilegiorum, aut indulgentiarum verbo, vel scripto a permultis sibi metipsis arrogatorum? Intacta igitur manet doctrina D. Thom.

397. Inq. 3. Quas pœnas incurrat Confessarius, absolvens sine facultate a casibus reservatis Papæ, aut Episcopis? R. Quod si inculpate, aut ex inadvertentiâ absolvat, nullam pœnam incurrit, quia sine culpa non datur pœna. Debet tamen, petita licentiâ a penitente loquendi de auditis in confessione, illum de suo errore monere, ait Genetus cum S. Antonin. Si autem scienter, aut ex culpabili ignorantia absolvat, peccat graviter cum onere admonendi penitentem de nullitate absolutionis, at extra Italiam nullam pœnam incurrit, tenetque doctrina S. Antonin. P. 3. tit 17. cap. 12. Nam decreta Clem. VIII. 1602. Pauli V. 1617. & Urb. VIII. 1628. quæ apud Donat. tom. 2. tract. XI. quest. 17. videri possunt, solum comprehendunt Confessarios intra Italiam, & extra Urbem degentes, ut constat ex littera ipsorum, & ideo confessarii Itali absolventes a reservatis sine speciali facultate incurruant in excommunicationem Papæ reservatam in decreto Clementino.

398. Inq. 4. An Episcopus, vel alius Superior, concedens facultatem subdito ad eligendum Confessarium, censeatur eam concedere absolventi a reservatis? R. neg. Quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus. Igitur facultas ad reservata debet esse expresse concessa. At potest concedi sub onere se Superiori præsentandi, vel imponendi talem penitentiam pro tali culpa; & tunc sub gravi tenetur penitens obedire, & adimplere. Imo etiam Confessarius, nisi assignatio penitentiam imponendæ tantum sit per modum instructionis, aut directionis.

non possit de omnibus absolvere penitentem, tamen tenetur penitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscatur, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat. Igitur potest Confessarius in præfato casu absolvere modo explicato penitentem, remittente eum ad Superiorem pro directa absolutione reservatorum.

## TRACTATUS VIGESIMUS OCTAVUS

DE INDULGENTIIS, ET SUFFRAGIIS.

Postquam egimus de remissione culpæ, opportunitum ducimus quidquam discutere de remissione pœnarum, quæ per indulgentias, & suffragia obtinetur. Unde congrue eorum tractatum immediate anneximus præcedenti.

## CAPUT I.

De indulgentiâ, &amp; jubilæo.

## PUNCTUM I.

Notio, &amp; divisio indulgentiæ.

1. Inq. 1. Quid sit indulgentia? R. Est remissio pœnæ temporalis, debita pro peccatis jam dimissis, ex thesauro Ecclesiæ ab habente legitimam potestatem concessa. Dicitur remissio pœnæ temporalis, quia pœna æterna non remittitur per indulgentias, sed supponitur dimissa simul cum culpa; ideo additur: debita pro peccatis jam dimissis, hoc est quoad culpam. Quoniam in peccato gravi datur reatus ad culpam, & reatus ad pœnam æternam: his autem remissis per Dei gratiam, remanet reatus ad pœnam temporalem, & hec est, quæ per indulgentias relaxatur, sive remaneat ex peccato mortali jam dimisso, sive ex veniali. Dicitur: ex thesauro Ecclesiæ; adest enim in Ecclesia thesaurus spiritualis locupletissimus, unde fidelibus subveniri possit ab habente legitimam potestatem, sibi traditam simul cum potestate clavium juxta illud Matth. 16. Tibi dabo claves.

2. Inq. 2. Quid sit thesaurus Ecclesiæ? R. est cumulus ex meritis, & satisfactoriis Christi, beatissimæ Virginis, aliorumque sanctorum conflatus, atque Ecclesiæ conceditur. Quamvis enim hujusmodi merita in se transierint, remaneant vero apud divinam clementiam. Merita autem sanctorum dicuntur esse reposita in Ecclesiæ thesauro, non utique ut auquant merita infinita Christi, tamquam aliquid

majoris pretii, sed ut ipsis conjuncta, & ab ipsis totum pretium, & valorem mirabiliter participantia.

3. Inq. 3. Quis gaudeat potestate distribuendi hunc thesaurum, vel concedendi indulgentias? R. Quod solum Pontifex jure divino in tota Ecclesia, & Episcopus jure ordinario ex concessione Papæ in sua Diocesi. Unde Episcopus tantum potest concedere pro suis subditis quadraginta dies indulgentiæ, excepto, quod in Dedicacione Ecclesiæ valet unum annum indulgentiæ concedere. At si Episcopus simul sit Cardinalis, potest concedere centum dies. Ceteri Prælati, esto sint Primates, aut Abbates, non jure ordinario, sed solum si Papa eis concesserit, ea delegari potestatem, ea gaudent. Potest autem Episcopus extra suam Diocesim propriis subditis concedere indulgentiam, quia in eo non exercetur jurisdictionis contentiosa, sed gratiosa. Pariter Archiepiscopus ob eandem rationem valet indulgentiam concedere in Diocesisub suffraganeis, esto actu non visiteat. Vid. Bened. XIV. in Syn. lib. 2. cap. 9. n. 7. Adesse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias est de fide definitum contra hereticos, tam antiquos, quam modernos in *Trid. sess. 25.*

4. Inq. 4. Quotplex sit indulgentia? R. Dividi primo in plenariam, & partialem. Plenaria est: remissio totius pœnæ temporalis, debita pro peccatis jam dimissis. Partialis est: remissio alicujus pœnæ temporalis debita pro peccatis dimissis. Utraque dividitur secundo in localem, realem, & personalem. Localis est, quæ afficit locum, ut hæc Ecclesia, Basilica, vel altare, pro cujus visitatione conceditur indulgentia. Realis dicitur, quæ conceditur rei mobili, ut Cruci, Imagini, aut Rosario. Personalis vocatur, quæ conceditur personæ facienti hoc, aut illud opus pium, ubicumque illud fecerit. Tertio dividitur in indulgentiam per modum absolutionis, ut regulariter sunt indulgentiæ vivorum; &

Tract. XXVIII. De indulgentiis, & suffragiis  
 & in indulgentiam per modum suffragii,  
 ut indulgentia pro mortuis.

5. Insuper indulgentia partialis, alia dicitur *quadragesima*, alia *septena*, & alia *carena*, Hoc oritur ex eo, quod olim per sac. canones juxta diversa crimina præscribatur diversa poenitentia: Unde quibusdam imponebatur poenitentia quadragesima dierum, & dicebatur *quadragesima*. Aliis septem annorum, & vocabatur *septena*. Aliis demum septem annorum, & quadragesima dierum, & appellabatur *carena*: quasi *quarantena*. Igitur dum conceditur indulgentia quadragesima dierum, vel tot annorum, conceditur illa remissio poenae, quae per poenitentias quadragesima dierum, aut annorum per sac. canon. præscriptas exequenti relaxaretur. Quando autem conceditur indulgentia tot annorum, vel dierum de poenitentia injunctis, intelligitur concedi remissionem poenae, quae per poenitentias juxta sac. canones, pro peccatis confessis, si adimplerentur, remittenda esset, & non amplius; quia indulgentiae tantum valent, quantum sonant. At quando conceditur indulgentia de peccatis, de quibus quis contritus, & confessus est, intelligitur plenaria, quia illa locutio significat dolorem universalem, & consequenter remissionem totalem.

6. Inq. 5. An indulgentia sit sacramentum, aut pars sacramenti? R. neg. ob id aliqui in ejus definitione ponunt particulam *extra sacramentum* ad eam distinguendam a sacramento. Sed quia potest applicari, aut etiam lucrari tam intra, quam extra sacramentum, consulto omisisti illam particulam. Sufficiens enim sine illa distinguitur a sacramento, cum hoc sit institutum ad causandam gratiam; indulgentia vero tantum ad remittendam poenam. Qua ratione ejus effectus adequatus est remissio poenae temporalis, sive totalis, sive partialis.

7. Inq. 6. An requiritur causa pro indulgentiae concessione? R. affirm. Quia inferior nequit sine causa remittere, quod debetur Superiori. Sicut ob eandem rationem nequit sine causa dispensare in lege superioris: erg. ad concedendam indulgentiam requiritur causa. Imo debet juxta prudentis judicium esse proportionata; ita ut pro majori indulgentia adsit major causa,

ut liquet in exemplo dispensationis; indulgentia enim est quadam dispensatio, qua fidelis eximitur a lege subeundi poenam, pro peccatis sibi debitam. Verum non erit prorsus nulla ex defectu proportionis, sed valebit juxta causae proportionem secundum prudentis arbitrium.

#### PUNCTUM II.

##### De conditionibus pro lucranda indulgentia.

8. Inq. 1. Quot, & quales conditiones requirantur ad lucrandam indulgentiam? R. septem requiri conditiones. 1. Quod sit fidelis baptizatus; haereticus quippe, quamdiu talis, est incapax indulgentiae, & etiam Cathecumenus per modum absolutionis. 2. Quod adsit intentio, saltem virtualis, indulgentiam lucrandi. Ideo volens lucrari indulgentias, renovet initio mensis, aut hebdomadae intentionem lucrandi omnes indulgentias, quocumque titulo concessas, ut sic lucretur etiam ignoratas. 3. Quod sit in gratia; nullus enim in lethali quit sibi lucrari indulgentiam. Ideo, saltem quando apponitur ultimum opus praescriptum, debet esse in gratia, si velit sibi lucrari indulgentiam. 4. Quod non sit excommunicatus: nam excommunicatio majori ligatus, esto sit in gratia, nullam sibi valet lucrari indulgentiam. 5. Quod indigeat effectu indulgentiae tempore, pro quo conceditur. Si autem ipse, vel tertius, pro quo lucratur, tunc eo non indigeant, & alteri sub hac conditione applicetur, valebit pro illo. 6. Quod exequatur opus, vel opera praescripta pro lucranda indulgentia. Qui enim non vult, vel non potest ea apponere, nihil lucratur, nisi aliud exprimat gratiam concedens; nam ut dictum est, indulgentiae tantum valent, quantum sonant. 7. Quod sit subditi concedentis indulgentiam, quia ejus concessio est actus jurisdictionis. Sed advenæ lucrantur indulgentias alterius Diocesis, ubi reperiuntur, quia ratione habitationes fiunt, quod ad hoc, subditi illius Episcopi. Ac idem est de regularibus, qui ad hunc effectum Episcopis subjiciuntur.

9. Inq. 2. An, quando indulgentia conceditur *contritis, & confessis*, sufficiat esse in gratia, vel praemittenda sit praecise confessio? R. sub distinctione.

Vel

Vel enim sermo est de illis, qui semel saltem in hebdomada regulariter confiteri solent, vel non. Primi lucrantur eam, etiam confessione non praemissa; sufficit enim confessio hebdomadaria pro omnibus indulgentiis lucrandis, suppositis aliis praescriptis, nisi post ultimam confessionem in lethale incidierint. Secundi non lucrantur, nisi confiteantur, esto sint in gratia. Ita declaravit sacr. congreg. de indulg. & reliq. 9. Decemb. 1763. Quod intelligitur de indulgentiis ordinariis; nam pro extraordinariis, ad instar jubilaei lucrandis, debet praemitti confessio simul cum aliis operibus injunctis. Verum non requiritur confessionem peragi praecise in die festivitatis; sufficit quippe fieri in ejus vigilia, ut etiam declaravit eadem congreg. De communione autem nihil dixit, forsitan quia indulgentiae regulariter sunt concessae *contritis, & confessis*. Nisi velis dicere idem esse tenendum de communione, ac de confessione; & revera ita expedire videtur, difficile enim est totam v.g. civitatem numerosam uno die communionem recipere.

10. Inq. 3. An, quando conceditur indulgentia plenaria, & non lucratur totaliter, lucretur saltem partialiter? R. affirm. Nam quidquid alii putent, non conceditur indulgentia plenaria ita indivisibiliter, ut qui totam non lucratur, nihil participet, si omnia injuncta apponat. Sed est sicut fons gratiarum patens omnibus, ut quisque ex eo juxta vas, aut dispositionem accipiat: paucissimi sunt qui indulgentiam plenariam lucrantur; quia ad hoc requiritur, quod quis nullo peccato quantumvis veniali, aut levi afficiatur. Quis est hic, & laudabimus eum? Sed non ideo frustratur omnino desiderium aliorum fragillum, qui non tanta puritate, aut perfectione ad fontem pie accedunt, ut patet in sacramentis, ubi unusquisque recipit gratiam juxta suam dispositionem. Si igitur Deus hac pietate se gerit, cur non idem est praesumendum de Ecclesiae pietate? S. Bonav. 4. sent. D. 20. quaest. 6.

11. Inq. 4. An oratio, praescripta in concessione indulgentiae, debeat esse vocalis? R. affirm. Quia, nisi aliud exprimat, oratio vocalis intelligitur, ut dum injungitur unum *Credo* tali Imagini, vel visitatio Ecclesiae, aut altaris: quia licet possint visitari mentaliter orando, sem-

Tom. II.

per tamen addenda est aliqua oratio vocalis. Ita etiam debent visitari, ut exterius appareat tale Altare praes aliis visitari prece vocali coram illo efflusa. Nec debet esse adeo brevis, ut vix visitatio appellari queat. Quando oratio designatur expresse, illa omnino dicenda est in loco, seu Ecclesia assignata. Quando vero non determinatur, pro simili indulgentia similis oratio regulariter est recitanda, conformando suam intentionem cum ea, quam habet indulgentiam concedens, quae solet esse pro augmento sanctae Ecclesiae, pro haeresum extirpatione, pro infidelium conversione, aut victoria contra illos, pro felicitate Pontificis in suo regimine, & pro pace, ac concordia Christianorum Principum. Quando autem conceditur indulgentia vacantibus orationi mentali, nemo ambigit, ea posse lucrari, ideo enim dictum est initio: *nisi aliud exprimat*.

12. Inq. 5. An, si opera injuncta in concessione, ex pravo fine efficiantur, lucretur indulgentia? R. Indulgentiam saltem plenariam minime lucrari; quia adstante culpa, etiam veniali in ultimo opere, nequit illa obtineri. De indulgentiis partialibus distinguere oportet. Aliud quippe est opus esse malum concomitans, ut auditio Missae, jejuniun, elemosyna facta cum culpa, ut cum negligentia, aut inanis gloria; aliud fieri ex malo fine. In primo casu lucratur indulgentia; alias nulla fere lucraretur, attenda fragilitate humana. In secundo vero multum mihi repugnat asserere indulgentiam lucrari. Quia vel culpa, qua opus fit, est gravis, aut levis. Si est gravis etiam in ultimo opere, patet, quod in lethali nequit quis indulgentiam sibi lucrari. Si est levis, opus factum ex tali fine non ordinatur, aut nequit debite ordinari ad finem lucrandi indulgentiam; alias haberet duos fines oppositos. Erg. cum opere adequate facto ex pravo fine non lucratur indulgentia.

13. Objic. Praeceptum audiendi sacrum, jejunii, aut elemosynae impletur per opera facta etiam ex malo fine, erg. pariter indulgentiae lucrari poterunt per talia opera. R. neg. conseq. Paritas enim non tenet, praecceptum quippe impletur per opus injunctum, esto non ordinetur ad ejus adimplerionem, & etiam in lethali adequate appo-

X

po

positum: indulgentiam vero nemo lucrari valet per opus adequate in lethali executum, nec in gratia ad finem lucrandi eam non ordinatum. Non requiritur omnia injuncta fieri in gratia, sed fieri ex dicto fine, & quod saltem ultima diligentia fiat in gratia. Ideo pro fragilibus consultus est, quod, ultima diligentia sit recipere sacramenta. Contraria olim sententia patronis non caruit: sed non est admittenda, quia Ecclesia non præsuntur velle ex pravo fine operantibus favere. Unde concessa indulgentia Missam tali die audienti, si hic ex malo fine eam audiret, indulgentiam non lucraretur. Vide Benedic. XIV. in Bulla, quæ incipit: *Inter præteritos*.

## PUNCTUM III.

*Alia dubia circa indulgentias.*

14. Inq. 1. An pro lucrands indulgentiis sufficiant opera ex alio capite debita? R. neg. Quia regulariter opus præscriptum debet esse supererogationis, ut accidit in opere injuncto pro poenitentia sacramentali, quod intelligitur de opere alias non debito, nisi aliud exprimat. Si enim concedatur indulgentia jejunanti v. g. in quadragesima, vel vigilia S. Petri, tunc positio opere alias debito ex præcepto, potest lucrari indulgentia. Unde nequeunt eodem actu plures indulgentiæ obtineri ob eandem rationem, ut si habens plures imagines B. V. quibus concessa est indulgentia pro recitatione unius *Salve Regina*; cum una oratione coram ipsis recitata solum unam indulgentiam obtinere valet; quia dum aliud de mente concedentis non constat, præsumitur ejus intentionem esse; ut pro singulis indulgentiis singula opera præstentur. Potest tamen quis eodem tempore per diversos actus indulgentias lucrari, ut si una concedatur pro auditione Missæ, & altera pro rosario recitando, utrumque eodem tempore faciendū, utramque indulgentiam lucrari potest.

15. Inq. 2. An, dum conceditur indulgentia plenaria visitantibus aliquam Ecclesiam, possit lucrari *toties, quoties*, ab eam visitantibus? R. sub distinctione. Vel enim concessa est absque temporis determinatione, vel cum illa. Si primum, po-

test adipisci *toties, quoties*; quia est perennis, & absque limitatione. Si secundum, semel tantum in anno, ut accidit in festivitate titularis Ecclesiæ, cui concessa est indulgentia, ut a primis vespere usque ad occasum solis diei sequentis possint, eam visitantes, lucrari. Unde, esto eam quis pluries visitet, unam tantum indulgentiam lucrificet. Ab hac regula excipienda videtur indulgentia plenaria *Portiuncula*, concessa primum a Christo Domino, deinde confirmata ab Honorio III. pro illa Basilica, postea a summis Pontificibus extensa ad omnes Ecclesias ordinis seraphici Patriarçæ a vespere Kalendarum Augusti usque ad obitum solis diei sequentis: hanc enim pluries lucrari posse satis ostendit communis fidelium praxis, quæ etiam in hac urbe Romana viget. Veruntamen *ly toties, quoties* pro ea lucranda debere rationabiliter intelligi, & exerceri, semper censui. Hoc est, quod ab una ad aliam visitationem rationabilis mora transeat.

16. Inq. 3. An indulgentiæ possint applicari pro defunctis? R. affirm. Est de fide definitum contra Waldenses, Albigenes, Lutheranos, & Calvinistas a Leone X. & contra Petrum Oxomensem a Sixto IV. Solus Papa potest concedere indulgentias pro mortuis, non per modum absolutionis, quia mortui non sunt subditi Papæ, sed per modum suffragii, tamquam dispensator supremus Ecclesiæ thesauri. Indulgentiæ igitur concessæ a Papa, possunt applicari pro mortuis a fidelibus; quod verum tenet, esto eas lucrantes non sint in gratia; potest enim quis satisfacere pro alio, licet nequeat satisfacere pro se ipso, ut docet D. Th. in *suppl. q. 71. art. 3.* Videatur Suarez disp. 53. sect. 4. n. 6. de indulg. ubi in hac doctrina fideliter sequitur D. Thom.

17. Unde non placet, quod P. Cuniliati §. ult. de indulgentiis vocet *rationabilior* contrariam opinionem oppositam doctrinæ D. Th. Nec undequaque placet, quod addit, nempe quod licet possit existens in peccato applicare mortuis indulgentias pro eis directe concessas, non tamen illas, quæ indirecte eis sunt applicabiles. In primis non explicat, quæ sint directe, quæve indirecte applicabiles. Vix solent concedi directe indulgentiæ defunctis,

tis, nec in D. Thom. reperitur hæc directæ, sed indirectæ concessio. Imo eximius Suarez ait nec Papam posse illam concedere. Igitur regulariter conceduntur indulgentiæ directe vivis, & indirecte mortuis, dum in concessione exprimitur, quod possint pro eis applicari. Si ergo peccator nequit applicare mortuis indulgentias eis indirecte applicabiles, vix erit indulgentia applicabilis mortuis a peccatore; quod est oppositum assertioni Angelici, & nostræ. Nec est admittenda ratio Cuniliati, nempe, quia, cum peccator in statu lethali non valeat fructuose applicare sibi, ita nec aliis. Non inquam est admittenda hæc ratio, est enim parum favorabilis defunctis, retrahens vivos ab eis juvandis. Magis pium, & magisque consonum doctrinæ D. Th. est asserere, quod licet nullo opere possit peccator satisfacere pro se, quit tamen suffragiis juvare mortuos, & pro illis satisfacere, sicut accipiens Bullam pro defunctis, aut concedens indulgentiam in lethali, nequit sibi, bene vero aliis eam applicare, seu concedere.

18. Inq. 4. Quid sit indulgentia per modum absolutionis, & per modum suffragii? R. Quod indulgentia per modum absolutionis est eam concedentem absolvere a poena facientem hoc, aut illud pium opus. Indulgentia autem per modum suffragii est offerre tale pium opus, ut Deus absolvat a poena illum, vel illam animam, cui applicatur indulgentia. Prima solet dici directæ, & secunda indirectæ. Quamvis non repugnet indulgentiam concedi, nullo opere injuncto, regulariter tamen non fit, nec expedit fieri. Unde cum animæ purgatorii nihil possit facere pro se, vix eis conceditur indulgentia, nisi indirecte, & per modum suffragii: per quod amplius exponitur doctrina supra tradita.

19. Inq. 5. An anima cui applicatur indulgentia plenaria statim transeat ad cælum? R. Id pendere ex voluntate divina, qua disponat talem indulgentiam totaliter, vel solum partialiter illi proficere. Certum est, quod si totaliter pro ea a Deo acceptetur, illico ad cælum convolat. Tempore Joann. XXII. acriter fuit disputatum an animæ a Purgatorio liberæ fruantur clara Dei visione ante diem judicii. Pro cuius articuli decisione assignavit Cardinales, & Theologos; sed morte præventus,

nec eorum sententiam audire, nec articulum definire potuit. Successor vero ejus, Benedic. XII. declaravit, animas justorum plene purgatas statim in cælum transferri, fruique sempiterna Dei visione intuitiva. Ita constat ex Bulla: *Benedic. dicitus Deus*; Dat. Avinionæ 19. Januarii. 1336.

## De jubileo.

## PUNCTUM IV.

20. Inq. 1. Quid sit Jubilæus, & in quo differat, aut conveniat cum indulgentia plenaria? R. Jubilæus est remissio totius poenæ temporalis debite pro peccatis dimissis cum facultate absolventi a reservatis, & commutandi aliqua vota, & juramenta. Igitur ex ipsa definitione patet convenire Jubilæum cum indulgentia plenaria in eo, quod ambo remittunt totam poenam temporalem. Ita ut in hac materia non sit major extensio, imo nec possit dari. Si enim lucrans indulgentiam plenariam, aut Jubilæum statim moreretur, recta via in cælum evolare. Unde, quando in jure dicitur non solum indulgentia plena, sed plenior, aut plenissima idem significatur, esto hæc voces indicent majorem recommendationem indulgentiæ. Differunt autem in eo, quod Jubilæus præter indulgentiam affert facultatem eligendi Confessarium ex approbatis, qui possit a reservatis absolvere, & commutare vota, quibusdam exceptis. Hanc differentiam advertant Patrochi, & Confessarii, ne vulgus confundat indulgentiam cum Jubilæo, aut contra, ut sæpe accidit. Illa enim non confert dictas facultates absolventi, aut commutandi.

21. Ante bellum sacrum contra Turcas vix reperitur concessa indulgentia plenaria. Pro expeditione adeo utili Ecclesiæ illam cum aliis gratis concessit Urbanus II. militare volentibus pro recuperanda terra sancta anno 1095. Jubilæum autem anni sancti primus concessit Bonifacius VIII. pro centesimo quoque anno. Deinde Clemens VI. illum reduxit ad annum quinquagesimum. Urbanus VI. illum restrinxit ad trigesimum tertium. Tandem Paulus II. illum decrevit celebrandum quolibet vigesimo quinto anno. Pontifices etiam in

sua exaltatione solent jubilæum concedere pro felici initio sui regiminis, & aliquando etiam pro causa gravissima ad Ecclesiæ juvamen concernente.

22. Inq. 2. A quibus casibus possit absolvi, & quæ juramenta commutari valeant virtute jubilæi? Hoc potissimum pendere ex ejusdem contextu, & littera: ibi enim declaratur facultas, quæ per eum indulgetur. Regulariter ab omni casibus, & censuris Episcopalibus, & papalibus absolvi datur facultas, excepta hæresi, quæ si expresse non nominetur, non venit sub generali concessione. Regulares exempti, & moniales valent eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario loci, etiam absque consensu suorum Prælatorum, quia jubilæum universale id eis concedit, ad differentiam Bullæ cruciatæ, quæ ad hunc effectum nihil eis prodest, nisi ex superiorum consensu. Omnia vota, excepto castitatis, & religionis possunt commutari per jubilæum, regulariter loquendo. Idem est de juramentis Deo factis. Peccatum complicitis venerei virtute nullius jubilæi absolvi potest a Confessario complice. Idem de falso denuntiante, quin prius se retractet.

23. Inq. 3. An qui non potest exequi opera injuncta pro indulgentiis, aut jubilæo, aliquid de eis lucratur? R. Executionem operum injunctorum esse conditionem sine qua non pro lucrândis indulgentiis, aut jubilæis. Imo quando præscribitur danda elemosyna debet dari juxta qualitatem personæ arbitrio prudenti, ita ut plus tribuat dives quam pauper. Etiam religiosi, vel eorum Prælati pro ipsis debent eam dare juxta vires monasterii. Pro non valentibus eadem opera executioni mandare, solet concedi facultas, ut Confessarius ea commutet in alia opera pia. Opera præscripta in jubilæo debent fieri in una ex duabus hebdomadis designatis, ita ut in una, & eadem apponantur; & Dominica sequenti immediate fiant confessio, & communio; quæ licet possint peragi intra eandem hebdomadam, consultius apponantur post alia opera dictæ die Dominica. Ex quo confirmatur non requiri præcise, quod relata opera fiant in gratia, dummodo ultimum in gratia apponatur. Adstante causa infirmitatis, vel alia, potest Confessarius ea commutare, vel prorogare tempus.

24. Inq. 4. An faciens confessionem sacrilegam maneat absolutus a reservatis? R. neg. Tum quia solum lucrans jubilæum, vel id vere curans, fit particeps ejus favorum; ceteri enim indigni sunt favoribus Ecclesiæ. Tum quia in jubilæo vera confessio præscribitur: erg. ea non posita, amittitur privilegium, ut a reservatis possit absolvi. A peccatis vero, & censuris invincibiliter oblitis tollitur reservatio ob bonam fidem, qua quis confitetur; quia pontifex vult liberis manere a reservatione, curantes sincero corde lucrari jubilæum. Unde si quis ex istis non posset tunc absolvi, vel quia est in occasione proxima, vel ex alia causa, si vere apposuit reliqua opera præscripta, posset post tempus in jubilæo designatum absolvi, etiam a reservatis; quia, causa pendente, non expirat jurisdictio delegati. Denique pro omni absolutione licite impertienda a peccatis, sive reservatis, sive non, semper debet præcedere satisfactio partis, si quæ læsa reperitur, aut saltem cautio de illa quantocius præstanda.

## CAPUT II.

### De Bulla cruciatæ.

Cum inter alia indulta tot indulgentiæ plenariæ, quam partiales concedantur in Bulla cruciatæ: ideo notitiæ indulgentiæ in communi immediate annectimus discussionem Bullæ cruciatæ.

### PUNCTUM I.

#### Nomen, & definitio Bullæ cruciatæ.

25. Inq. 1. Quid sit Bulla cruciatæ? R. 1. Nomen Bullæ derivari a quodam signo orbiculari aureo, aut argenteo, quo cives Romani utebantur in signum suæ nobilitatis. Ex hac figura orbiculari a Romanis usitata, derivatum est nomen Bullæ ad significandum illud signum plumbeum, appensum in diplomatis pontificiis, unde eadem diplomata apostolica appellantur Bullæ, sumpta denominatione a præfato signo plumbeo. Dicitur autem hæc Bulla Cruciatæ, quia conceditur ad instar gratiarum, & indulgentiarum quas Urban. II.

con-

concessit militantibus contra Turcas pro recuperanda terra sancta; nam milites illius expeditionis ex cruce rubea, quam super scapulam dexteram gestabant, dicti fuere cruciati.

26. R. 2. Quod Bulla cruciatæ est *Diploma pontificium, multa, & utilia privilegia, indulta, & gratias continens, Regi catholico Hispaniarum concessum in subsidium belli contra infideles*. Solus Pontifex valet concedere Bullam cruciatæ, & solus commissarius generalis eam explicare, aut interpretari auctoritative. Cum autem tot sint ejus gratiæ, & indulta spiritualia, non parum desudant Theologi pro eorum vera intelligentia, & doctrinali explanatione. Est enim Bulla cruciatæ velut fons Paradisi, qui dividitur in quatuor capita, vel in quatuor Bullas. Prima dicitur absolute Bulla cruciatæ. Secunda Bulla defunctorum. Tertia lacticianorum. Quarta compositionis.

27. Inq. 2. An gratiæ, & privilegia Bullæ ample, vel stricte sint interpretanda? R. Quod privilegia Bullæ, quæ non sunt contra jus commune, nec in præjudicium tertii, sed tantum in favorem alicujus, ut potestas absolvi pro foro interno, ample sunt accipienda, quia favores sunt ampliandi. Illa vero, quæ vulnerant jus commune, vel cedunt in alicujus præjudicium, stricte sunt interpretanda, ut usus lacticianorum, celebrandi, aut audiendi Missam tempore interdicti, & similia, quæ sunt contra jus commune, ejusque vulneratio, utpote odiosa, debet restringi, quia odia sunt restringenda.

28. Inq. 3. Quantum durent indulta Bullæ? R. Durare per unum annum. Hic autem computatur a die publicationis usque ad publicationem anni sequentis; ita ut recipiens Bullam ante talem diem nihil per eam lucrari valet ante ejus publicationem. Nec eam accipiens in dimidio, aut fini anni potest illa uti post aliam publicationem; quia tantum sortitur Bullam suum effectum intra annum suæ publicationis; non vero ante, nec post. Incipit enim in die publicationis; expirat vero in alterius Bullæ publicatione. Accipiens Bullam in loco ubi publicatur v. g. in Januario, & transmigrans in alium ubi tardius fit publicatio, dicunt pie aliqui, posse illa frui usque ad immediatam publicatio-

nem in hoc loco; quod videtur consonum rationi, adstante bona fide recipiendi quotannis Bullam. Alii tamen reluctantur, dicentes, quod juxta ejus verba solum durat per spatium unius anni, computati a die publicationis in loco, ubi Bulla accipitur. Unde, hoc transacto, nihil proficit; quod conformius est litteræ ejusdem Bullæ. Annus computationis probabilius est ecclesiasticus, nisi in casu raro, quo in sequenti non publicaretur; tunc enim cum non esset alius modus computandi, annus naturalis esset computandus.

29. Inq. 4. An privilegia, & gratiæ Bullæ cruciatæ revocentur per jubilæum anni sancti? R. neg. Ita constat ex variis declarationibus pontificiis. Liqueat etiam ex communi praxi, quæ est melior legum interpres. Nec a Papa revocatur nisi ob gravissimam causam: nec ejus morte expirat, quia semel pro sexennio concessa est gratia facta. An autem sic, vel sic possit revocari a Papa, est quæstio parum utilis.

30. Inq. 5. An per hanc Bullam revocentur omnes aliæ gratiæ, & indulgentiæ? R. Omnes gratiæ, & indulgentiæ papales suspendi pro illis, qui eam non accipiunt, ita ut licet ex inopia illam non habeant, nequeunt lucrari gratias, & indulgentias dictas in regnis Hispaniarum. Non tamen suspenduntur indulgentiæ Episcopales, nec anni sancti, nec concessa a Papa Superioribus mendicantium pro suis fratribus, nec indulgentiæ altaris privilegiati in suffragium defunctorum. Pro accipientibus tamen Bullam omnes gratiæ, & indulgentiæ alias suspensæ revalidantur.

### PUNCTUM II.

#### De conditionibus ad lucranda indulta Bullæ requisitis.

31. Inq. 1. Quot, & quæ conditiones requirantur pro Bullæ privilegiis, & gratiis adipiscendis? R. Septem conditiones requiri. 1. Quod sit baptizatus; Cathecumenis autem solum quoad aliquos effectus potest Bulla prodesse, nempe quoad indulgentias per modum suffragii, tam in vita, quam post mortem, & ut tempore interdicti sepeliri valeant in loco sacro. 2. Quod sit fidelis; hæreticus quippe, & schis-

schis-

schismaticus, quamdiu talis, indignus est privilegiis Bullæ. 3. Quod ipse, vel alius pro se accipiat Bullam. Non enim sufficit animus illam accipiendi, in quo non pauci præsertim rudes decipiuntur: cum acceptio vera per se, vel per alium sit conditio omnino necessaria. 4. Quod per se, vel per alium tribuat eleemosynam taxatam, ex propriis bonis, non enim proficit dare ex alienis, vel furtivis. Sufficit autem accipere illam ad creditum cum vero animo illam solvendi. Non prodest Bulla Castellæ pro Navarra, nec Aragonia, sed unusquisque debet sumere Bullam sui regni. Hac tamen legitime accepta licet subinde transeat quis ad prædicta regna, proficit illi quoad omnia privilegia. 5. Quod in ea proprium nomen scribat, & saltem mediocri diligentia illam custodiat. 6. Quod tempore acceptionis, vel saltem per aliquod spatium intra annum existat in dominiis Regis Hispaniarum, aut ad ea perveniat. 7. Quod non sit excommunicatus. Nam si est vitandus, prorsus est incapax fruendi gratiis Ecclesiæ. Si autem toleratus, nec indulgentias lucrari valet, nisi per modum suffragii, nec assistere divinis officiis tempore interdicti.

32. Inq. 2. An fur, pecunia per furtum habita, possit valide Bullam sumere? R. Neg. posse absolute loquendo, quia eleemosyna ex alieno, aut furto comparata, non est eleemosyna, sed potius continuatio, seu consumatio furti. Verum si intra annum restituat, a die restitutionis Bullam facit suam, quia jam non retinet moraliter pecuniam alienam. Idem est, si hanc retinens, non hac, sed alia pecunia propria Bullam accipiat. Sicut etiam si habens pecuniam furatam mixtam cum pecunia propria, ita ut illa agnoscere nequeat, ex mixta tribuat eleemosynam pro Bulla: tunc quippe est verus dominus totius pecuniæ, sed cum obligatione restituendi in specie debitam. Idem de meretrice, & aliis, qui acquirunt, esto illicite, dominium pretij, sibi ob aliquod opus pravum collati, quia vere possunt illud pro libito in eleemosynas, vel ad sibi necessaria expendere.

33. Inq. 3. An si accipias Bullam pro uno, qui illam velit, possis eam alteri applicare? R. affirm. Esto scripsisses nomen

illius, quia quamdiu non acceptatur, valet cuilibet applicari. Unde qui pie, & caritative plures Bullas accipiunt ad distribuendas inter pauperes, seu amicos, esto aliquorum nomina in eis scripsissent, possent eas, illis nolentibus, applicare aliis. Si quis tribuens eleemosynam sumeret inadvertenter a depositario Bullam anni præcedentis, nihil lucraretur de privilegiis, & indulgentiis, quia deficit conditio sumendi reipsa Bullam anni præsentis. Idem est, si aliquis furans plures Bullas a depositario, eas distribuere pauperibus, aut amicis, quia deficit conditio dandi eleemosynam in subsidium belli expendendam. Idem pariter si aliquis sumeret Bullam in Hispania pro alio Romæ toto anno existente, quia deficit conditio existendi in dominiis Hispaniæ. Si autem ad illa perveniret, vel tempore acceptionis, vel postea, poterit perfrui privilegiis Bullæ, esta solum ad eam sumendam pervenisset. Ita ut discedentibus a prædictis dominiis prosit Bulla quoad omnia privilegia, excipiendo usum lacticianorum in quadragesima, & carnis ex consilio utriusque medici in diebus abstinentiæ.

34. Inq. 4. An qui scit certo moraliter sibi a parentibus, vel amicis summi quotannis Bullam, possit uti ejus gratiis? R. affirm. Quia certitudo moralis sufficit ad licite operandum. Unde scholasticus assistens Salmanticæ, sciens certo moraliter sibi semper accipi Bullam in suo loco a parentibus, quia annis præcedentibus de hoc monitus, & certior factus est; potest uti ejus gratiis, etiam hoc anno, esto peculiarem notitiam de illo non habeat; maxime si ita conventum est inter ipsum, & parentes. Nota, quod Bulla valet non solum Hispanis, sed omnibus pervenientibus quacumque ex causa ad Hispaniæ dominiæ; quia absolute concessa est omnibus, qui in dominiis Regis catholici fuerint reperti, & omnibus prodest quoad omnia, quamdiu in illis demorantur. Cum vero ab eis discedunt proficit, ut dictum est in fin. num. anterioris.

35. Inq. 5. Quanta sit eleemosyna danda pro Bulla? R. Hoc constare ex contextu ipsius Bullæ in idioma Hispanicum traductæ. Alia enim est solvenda pro Bulla in Europa, alia in Indiis, alia a Magnatibus, & constitutis in dignitate Eccle-

sias-

siastica, aut civili, alia a reliquo populo communi; alia solvitur in Regno Navarra, alia in Regno Castellæ. Quod intelligitur etiam de Bulla dicta *lacticianorum*, cujus quota distincta est pro Præbyteris pauperibus ab illa, quæ solvenda est a pingui beneficio, Canonatu, Abbacia, Episcopatu, Primatu, vel Patriarchatu insignitis. Pro Bulla etiam compositionis in diversis Regnis diversa quota designatur, & si compositio sit faciendi pro omissione recitationis officii divini, alia æqualis summa tribuenda est fabricæ Ecclesiæ, ubi situm est beneficium, seu capellania.

## PUNCTUM III.

## De privilegiis in Bulla concessis.

36. Inq. 1. Quæ gratiæ, quæve privilegia concedantur in Bulla? R. Concedi decem gratiæ, seu privilegia. Primo enim conceditur duplex indulgentia plenaria a Confessario applicanda, alia in vita, alia pro mortis articulo eam sumentibus, vel euntibus sponte ad bellum contra infideles, vel aliquod servitium in eodem bello personaliter facientibus, vel mittentibus alios ad id præstandum. Secundo, conceditur militibus, in hoc bello occupatis, exemptio a jejuniis, quibus ex voto, vel præcepto Ecclesiæ adstringuntur. Tertio, conceditur ad dictum bellum euntibus, vel mittentibus alios, posse eandem indulgentiam defunctis applicare per modum suffragii. Hinc autem Commissarius Bullam defunctorum eformavit. Quarto, conceditur visitantibus quinque Ecclesias, vel quinque altaria in eadem Ecclesia, vel si non adsint nisi duo, tria, aut unum, quinque hoc, vel illa usque ad quintam visitationem, lucrari posse omnes indulgentias concessas personaliter visitantibus Ecclesias stationum Romæ, tam intra, quam extra muros, dummodo postulent pro victoria contra infideles, pace Ecclesiæ, & hæresum extirpatione.

37. Quinto, conceditur jejunantibus in diebus, in quibus non adest præceptum jejunandi, indulgentia quindecim annorum, & quindecim quarentenas pro quolibet jejunio fasis ad Deum precibus, prout supra. Sexto, conceditur indulgentia plenaria morientibus subitance absque con-

fessione, dummodo in confidentiam Bullæ negligentes non fuissent confitendi tempore ab Ecclesia præscripto. Septimo, conceditur, ut sumens Bullam, absolvi possit a casibus, & censuris reservatis semel in vita, & semel in articulo mortis. Imo accipienti duplicem Bullam prodest hoc indultum pro duplici absolute in vita, & pro duplici etiam in morte. Octavo, conceditur indultum celebrandi, aut audiendi Missam, assistendi divinis officiis, & recipiendi sacramenta, etiam tempore interdicti, in Ecclesia, vel Oratorio privato, jam legitime erecto, coram suis sanguineis usque ad quartum gradum, commensalibus domesticis, seu in sua domo continuo commorantibus. Pro qualibet autem vice debet Deum orare peculiariter principalis, cui indultum hoc conceditur, pro Ecclesiæ felicitate, ut supra.

38. Nono, conceditur usus lacticianorum in diebus prohibitis, & etiam carnis ex consilio utriusque medici, excipiendo, quoad lacticia, Patriarchas, Primatus, Episcopos, Præbiteros, & regulares, nisi sint militares, aut sexagenarii. Unde Commissarius concinavit Bullam lacticianorum. Decimo, conceditur Bullam sumenti facultas se componendi de bonis male habitis, quorum dominus ignoratur. Et hinc Commissarius formavit Bullam compositionis. Ut hæc indulta clarius pateant, de singulis quidquam dicere oportet, quod præstabimus septem §§.

## §. I.

## De prima Bullæ indulgentia.

39. Inq. 1. Quid requiratur ad lucrandam primam indulgentiam in Bulla concessam? R. In primis requiri confessionem, si fieri possit. At in ejus defectu, dum nequeat fieri, requiritur contritio, vel status gratiæ: hæc enim est conditio necessario pro quacumque indulgentia consequenda. Deinde requiritur sive in vita, sive in morte, quod applicetur a Confessario. Ita ut si deficiat applicatio, amittatur indulgentia. Debet applicari a Confessario intra confessionem, dum possit; valet tamen, si extra eam immediate applicetur. Pariter debet peti a pœnitente ejus applicatio; at si nequeat petere ob im-

pro-

provisum accidens, sufficit virtualis, aut interpretativa petitio. Unde pro valida ejus applicatione in vita, seu extra articulum mortis, si Confessarius obliviscatur eam applicare, sufficit illa generalis applicatio, qua dicitur: *applico tibi omnes indulgentias, quas possum.*

40. Insuper advertat Confessarius, quod pro articulo mortis applicet hanc indulgentiam sub conditione: *si pro hac vice e vita decesseris, applico tibi indulgentiam, vel indulgentias, quas possum virtute Bullæ cruciatæ &c.* Non enim sunt determinata verba pro hac, aut aliis indulgentiis applicandis; qua ratione prædictis, vel aliis similibus verbis valent applicari. Congruit autem dicta applicatio conditionalis, si forte supervivat infirmus, & postea in eodem anno in alium articulum incidat. Negant communiter auctores sufficere applicationem mentalem, ideoque requiri verbalem ajunt. Assentior debere fieri verbis: quia ita docet communis sententia, & communis praxis; in casu tamen necessitatis non reputo verba adeo necessaria pro hac applicatione, sicut pro absolutione sacramentali. Nec inficeret concedere in tali casu posse fieri scripto, nütibus, aut etiam mentaliter. Sicut si Superior absolveret etiam mentaliter aliquem a censura, ille coram Deo absolutus esset. Cur ergo non valebit applicatio indulgentiæ postulata a poenitente in casu necessitatis a Confessario, pro tunc ex aliquo accidenti loqui impedito? Maxime cum fere omnes concedant hanc applicationem, dum Confessarius ejus fuit oblitus in confessione, posse fieri extra confessionem etiam poenitenti absentis, quod rationi, & pietati optime consonat.

41. Inq. 2. An hæc applicatio in casu necessitatis possit fieri a clerico non Sacerdote? R. neg. Quia Pontifex illam applicandi facultatem solum tribuit Confessario; in nullo autem casu quit non Sacerdos esse Confessarius, nota, quod hæc indulgentia eodem modo concessa est sumentibus Bullam, ac euntibus ad bellum contra infideles, vel in eo deserventibus. Tenentur autem hi per integrum annum in expeditione permanere, nisi antea moriantur, aut ob infirmitatem, vel aliam gravem causam ab illa recedant: tunc enim lucrarent indulgentiam, cum recessus non

stet per illos. Non autem illam lucrantur toties, quoties confiteantur in anno, sed semel dumtaxat, ut patet ex ipsa concessione, quæ est ad semel in vita, & semel in morte plenariam lucrandam omnium peccatorum, seu poenarum indulgentiam, & remissionem.

42. Inq. 3. Quibus concedatur hæc indulgentia? R. Concedi primo Regi catholico expeditione contra infideles assidua cura incumbenti. Secundo mittentibus milites ad eam. Tertio ipsis militibus, & aliis, prout in Bulla declaratur. Quarto, omnibus dictam Bullam sumentibus cum supra indicatis conditionibus. Pariter milites in expeditione actuali occupati excusantur a jejuniis Ecclesiæ, & votivis. Verum de militibus Hispanis agemus. tract. 35.

## §. II.

## De Bulla defunctorum.

43. Inq. 1. Quid concedatur per Bullam defunctorum? R. Concedi illam sumentibus posse applicare indulgentiam plenariam pro anima determinata purgatorii. Non enim debet applicari pro animabus in communi, sed pro determinata v. g. Petri, cujus nomen debet statim in eadem Bulla scribi, ut sic quantocius illi proficiat. Si autem quis scriberet sub hac conditione, quod, si anima Petri illa non indigeat, deserviat pro anima Pauli, non dubito valere, dummodo utriusque nomen dicta conditione scribatur.

44. Inq. 2. An in eodem anno pro una anima, vel pro pluribus possit quis plures Bullas sumere? R. Quod juxta litteram Bullæ communis solum constat posse quemlibet sumere unam, aut duplicem Bullam in eodem anno pro una, aut duplici anima. Nihilominus pie asserunt AA. saluberrimum esse consilium, quod plures Bullæ accipiantur, etiam pro eadem anima: quia esto sit probabile indulgentiæ concessas pro defunctis habere infallibilem effectum ex justitia apud Deum: probabile etiam est oppositum. Imo licet primum esset verum, adhuc adest locus multiplici indulgentiæ. Nam esto sacrificium altaris sit infiniti valoris, & habeat infallibilem effectum erga animam purgato-

rii,

rii, cui applicatur, non tamen illam semper habet adequatum, sed juxta beneplacitum Dei, & meritum ac dispositionem defuncti. Ideo nemo fidens nimium in Bullis, aut indulgentiis negligat operari pro se in hac vita, opera enim illorum sequuntur illos. Vid. Ven. Joan. Palafox lib. *Lux viv.* num. 55. Exempla, quæ profert ibi an. 54. sunt valde salutaria.

45. Inq. 3. An requiratur status gratiæ in sumentibus Bullam pro defunctis, ut eis illa proficiat? R. Quod melius esset, ut plus proficeret etiam defunctis; non tamen requiritur necessario, ut ex D. Thom. diximus supra num. 16. Milites euntes ad prælium contra infideles juxta aliquos nequeant applicare indulgentiam defunctis, & eam simul lucrari; quod loquendo de eadem numero indulgentia plenaria, verum judico; quia semel uni applicata, nequit alteri, saltem in ratione plenariæ, applicari, ut ex se patet. Alii putant dicatos milites, & alios euntes ad serviendum in sancta expeditione, lucrari sibi unam indulgentiam plenariam, & alteram defunctis, sicut sumentes Bullam vivorum, & aliam defunctorum, quod probabile, & pium est.

## §. III.

## De indulgentiis stationum.

46. Inq. 1. Quæ & quales sint indulgentiæ stationum in Bulla concessæ? R. esse omnes & singulas indulgentias, quæ ad sunt in singulis diebus stationum intra, & extra muros Romæ, quæ omnes conceduntur Bullam sumentibus, & visitantibus quinque Ecclesias, vel quinque altaria in eadem, aut diversis Ecclesiis, aut in defectu quinque altarium, unum quinquies dictis stationum diebus. Hæc autem indulgentiæ plenariæ nonaginta novem numerantur, ut ex ipso Bullæ sumario patet, & designantur a die cinerum usque ad Dominicam in albis, & aliis diebus in eadem Bulla expressis. Præter has plenarias conceduntur etiam in Bulla plures indulgentiæ partiales pro aliis diebus stationum Romæ. Unde sumens Bullam, visitans quinque altaria, licet non lucratur omnes indulgentias, quæ toto anno Romæ adipisci valent; lucrari tamen potest omnes

Tom. II.

indulgentias tam plenarias, quam partiales concessas pro diebus stationum Romæ, ac si personaliter Romæ visitaret Ecclesias intra, & extra muros Urbis. Pro quo ditissimo thesauro consequendo, nihil aliud requiritur in Bullam sumente, quam visitare quinque Ecclesias, vel altaria, orando pro pace, & felicitate Ecclesiæ, & victoria contra infideles. Vel exequendo dictam altarium visitationem pro fine intento a Pontifice in concessione Bullæ.

47. Hujusmodi indulgentiæ stationum applicari valent pro defunctis, ut constat ex ipsa Bulla. Nequeunt autem lucrari nisi semel in die per unam Bullam. Sumens vero duas, bis potest eas adipisci; atque duplicem indulgentiam plenariam applicare vel pro una, vel pro duabus animabus purgatorii determinatis. Indulgentia enim plenaria semper debet applicari pro anima determinata; esto partiales applicari possint pro pluribus, aut pro omnibus. Verum nota, quod ad applicandam, aut lucrandam duplicem indulgentiam plenariam, requiritur duplex visitatio altarium. Item, quod cum una Bulla, & eadem altarium visitatione, nemo potest lucrari sibi unam plenariam & alteram pro anima, quia non copulative, sed disjunctive conceditur indulgentia, ita ut vel sibi, vel animæ applicari possit. Quidam autem hoc non intelligi illis diebus, in quibus notatur animam exire a purgatorio: circa hoc vero secundum staudum est explicacioni Commissarii, nam ex concessione Pontificis id non constat.

48. Inq. 2. Quantum sit recitandum in quolibet altari? R. non determinari in Bulla: ideo talis recitatio fieri debet, ut visitatio congrua, & rationabilis vocari possit. Unde recitare semel tantum orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in unoquoque altari nimis exigua visitatio communiter reputatur: quamvis admittatur ut sufficiens a N. Theodoro in suo opere de indulgentiis. Quare saltem, bis aut ter eadem oratio in quolibet altari recitari debet. Consuetudo autem eam quinquies in singulis altaribus dicendi simul cum *Gloria Patri* est valde pia, & laudabilis. Hæc autem visitatio altarium potest fieri ut continuo successive, vel separatim, ita ut unum visitetur mane, & aliud vespere. Vel quadam in hac Ecclesia, &

Y

reli-

reliqua in alia; dummodo quinque Ecclesiæ, aut altaria eodem die naturali visitentur. Requiritur aliquis motus, vel signum, quo secernatur exterius visitatio unius altaris ab alterius visitatione. Si in Ecclesia sunt duo solum, aut tria altaria, non sufficit visitare unum quinquies, sed debent visitari illa duo, aut tria usque ad quintam visitationem.

49. Inq. 3. An non potens ingredi Ecclesiam valeat visitare altaria ex januis? R. Quod si altaria possint videri ab ostio Ecclesiæ, valent etiam visitari ab illo, quia adest præsentia moralis. Idem est, si in magno concursu omnes simul altaria visitarent, esto non ab omnibus videri possent; quia tunc omnes sunt moraliter unum, aut per modum unius visitant, ut accidit in Missæ auditione. Quando autem nec altaria videri possunt a januis, nec simul cum aliis visitantur, visitatio non valet, quia deficit præsentia moralis. Eodem modo est philosophandum de visitatione facta a choro, vel tribunis. Vel enim ades præsentia moralis, vel non: Si primùm, valet visitatio. Si secundum, nequãquam. Unde dum quis solus vult altaria e choro, aut tribunis visitare, requiritur, quod videri possit saltem aliquid mensæ Altaris; alias præsens ei moraliter non censetur. Idem est de visitatione Ecclesiæ, pro qua non requiritur præsentia ingressus, sed præsentia moralis.

De potestate concessa in Bulla a reservatis absolventis.

50. Inq. 1. A quibus casibus, & censuris possit absolvere Confessarius virtute Bullæ cruciatæ? R. Confessarium approbatum ab Ordinario loci, ubi confessio excipitur, posse virtute Bullæ absolvere in peccatis ab omnibus casibus Episcopo reservatis, etiam publicis, quoties quoties. Deinde ab omnibus reservatis tribunali inquisitionis; dum non procedant ex errore in fide, nulla quippe datur potestas in Bulla pro absolutione hæresis. Hac vero excepta, conceditur potestas absoluta ad absolvendum a casibus Pontifici non reservatis. Præerea datur etiam ad absolvendum quoties quoties ab omnibus delictis, & censuris occultis Pontifici reservatis. A cen-

suris autem publicis solum ad semel in vita, & semel in morte unum non casus, sed absolutiois. Hoc est, potest absolvi poenitens ab omnibus casibus, & censuris pro una vice confessis; seu in una confessione prolatis.

51. Si autem poenitens duplicem accipiat Bullam, bis potest modo dicto absolvi; etiam ab interdicto speciali personali. Non tamen ab interdicto personali generali; neque locali, sive speciali, sive generali; quia hoc spectat ad forum externum, & absolutio virtute Bullæ solum valet pro foro interno. Similiter virtute Bullæ nequit conferri absolutio ab irregularitate, sive ex defectu, sive ex delicto incurta; quia non est censura, sed quoddam impedimentum canonicum, a quo absolvendo non datur facultas in Bulla. Sicut nec ad absolvendum a suspensione mere punitiva, & temporali, ut quæ imponitur ad mensem, vel annum ob eandem rationem. Facultas enim data Confessario in Bulla solum est ad absolvendum a peccatis, & censuris, & ad quædam vota commutanda. Si quis ex metu gravi, aut dolo circa causam motivam extorqueret dictam absolutionem a Confessario, esset irrita; tum quia absolutio a censuris ex metu extorta, irritatur a jure; tum quia gratia obtehta ex causa motiva falsa est subreptitia, & nulla.

52. Inq. 2. An absolutus virtute Bullæ maneat absolutus a casibus, & censuris reservatis etiam oblitis? R. affirm. Quia Confessarius absolvit quantum potest, & poenitens indiget; sed potest Confessarius in vi Bullæ ab illis absolvere, & poenitens indiget; ergo hic absolutus manet. Idem est ob eandem rationem de quocumque Superiore, aut facultatem habente in reservata, quia omnis Confessarius absolvit in quantum potest, & debet hanc habere intentionem. Nec est audiendus quidam recentior, qui id concedens respectu lucrantis jubileum, negat respectu contentis Superiori reservata. Nam si Jubileum tribuit facultatem delegatam, eadem habetur per Bullam cruciatæ, & in Superiore adest facultas ordinaria; & quod dicitur de Jubilæo, potest dici de Bulla, & de quolibet Superiore, seu facultatem habente: nempe, quod esto peccata oblitæ maneat absoluta solum indirecte, ideoque debeant iterum confiteri; tamen reservatio, & censura directe absol-

## S. V.

## De privilegio Bullæ pro tempore interdicti.

solvuntur: possunt enim tolli a Superiore, vel ab habente facultatem, etiam poenitente id ignorante; maxime dum hic habet intentionem, seu desiderium, ut omnimode absolvatur. Si poenitens inchoavit confessionem intra annum, etiam transacto illo, valet eam perficere, & a reservatis absolvi, quia, causa incepta, non expirat facultas delegati.

53. Inq. 3. Quid concedat Bulla pro articulo mortis, supposito, quod in eo nulla est reservatio? R. Concedere in primis posse ei applicari a Confessario indulgentiam plenariam, ac remissionem omnis poenæ pro peccatis debitæ, & in purgatorio alias luendæ. Deinde quod poenitens pro nulla censura teneatur Superiori comparere, excepta illa, quæ per hæresim incurritur. Præterea Confessarius electus per Bullam valet absolvere a reservatis Papæ, aut Episcopo, esto ipsi sint præsentis quod Confessario simpliciter denegatur, etiam in articulo mortis.

54. Inq. 4. Quid debeat observare Confessarius absolvens poenitentem a censuris in vi Bullæ, sive in vita, sive in articulo mortis? R. Debere in primis, si absolvat ab hæresi poenitentem, petere ab eo juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, & comparando coram Superiori legitimo, offerens satisfactionem. Deinde quando necessaria fuerit satisfactio partis, fiat per ipsum, vel per alios ante absolutionem, si possit. Si vero nequeat illico fieri, præbeat cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, aut saltem juratoriam, quando aliquam ex prioribus exhibere non valet. His præstitis modo possibili, absolvi valet absque reali satisfactione, quia ad impossibile nemo tenetur.

55. Inq. 5. Quid concedat Bulla circa votorum commutationem? R. Concedere posse commutari omnia vota in subsidium belli sancti, tribus exceptis; nempe castitatis, religionis, & ultra marini, per quod intelligitur communiter peregrinatio in Jerusalem. Idem est de juramento solum in Dei honorem factis, vel etiam in favorem tertii ante acceptationem. Differentia quæ adest inter Jubilæi, & cruciatæ facultatem circa hanc commutationem est, quod in vi Bullæ tota fieri debet in prædictum subsidium temporale: quod non depositis Jubilæus.

56. Inq. 1. Quid concedat Bulla pro tempore interdicti? R. concedere tria privilegia. Primum Quod euntes ad bellum sacrum, vel Bullam sumentes possint in Ecclesiis, ubi alias divina Officia celebrare permittitur, vel in oratorio privato iam legitima facultate erecto, et visitato ab Ordinario, dicere Missam, si sint Presbyteri, vel eam audire, etiam una hora antequam die, vel post meridiem, cum licentia prius obtehta a Commissario generali, et interesse divinis officiis simul cum suis domesticis, familiis, et consanguineis, dummodo ipsi non dederint causam interdicti, nec per ipsos stet, quominus amoveatur: et pro qualibet vice orent pro pace Christianorum Principum, eorum unione et victoria contra infideles. Secundum, quod possint recipere sacramenta in dicto Oratorio, excepta Eucharistia in die Paschatis; intelligitur Resurrectionis, qua die non solum in oratorio, verum etiam in regularium Ecclesiis non possunt fideles Eucharistiam sumere, adhuc ex devotione, ut pluries sacra Congregatio declaravit. Tertium posse defectorum corpora cummoderate pompa sepeliri.

57. Inq. 2. An in Oratorio in quo datur facultas tantum pro una Missa possint eadem die plures Missæ celebrari? Resolutio affirmativa vocabatur sententia communis paucis ab hic annis, gravibus niua fundamentis, conformis sensui magis obvio, et fere litterali ipsius Bullæ, et explicata fere ab omnibus ejus explanatoribus. Sed dudum exteri, qui torvis oculis consueverunt aspicere Hispanorum privilegia, voluerunt coangustare nos, et perturbare possessionem nostram. Præsertim extulit vexillum Joannes Gatticus Canonicus Lateranensis, sed non corroboravit assertionem suam tan validis argumentis, ut nos cogat a majorum institutis recedere, licet falso velint opinionem nostram sigillare, ut a principis probabilissimi deducam. Dicimus ergo, quod virtute Bullæ cruciatæ potest quilibet missam dicere, vel audire in Oratorio, in quo alia dicta fuit, et hoc

est intelligendum, licet non habeat privilegium Oratorii proprii, qui sacrum celebrat virtute cruciata. Et ratio hujus est; quia in ipsa Bulla conceditur omni eam indiscriminatim recipienti, Missam dicere, vel audire sine alia conditione, quam oratorum esse approbatum. Ergo hoc supposito, tot Missæ poterunt celebrari, quot adsint Bullæ privilegio communiti. Secundo quia non facile nobis persuasum esse potest, ut per Bullæ privilegium concedatur hæc libertas tempore interdicti, quando celebratio pluribus difficultatibus irretitur, & denegetur, quando omnia sunt expedita, & sancta mater Ecclesia filiis suis faciem benignam ostendit. Tertio quia non nisi violenter particula *etiam tempore interdicti*, potest interpretari, vel potius dicam contorqueri, ut significet idem ac *solum*, vel *duntaxat*. Hæc enim sinistra intelligentia est contra juris interpretationem, ut in simili casu asserit Fagnanus in cap. *Cum contingat* de for. comp. num. 40. & contra ipsas regulas latinitatis, asserentes particulam *etiam* esse ampliativam.

§ 8. Nec nobis insudare cogit argumentum, quod ut ineluctabile affert Gaticus, deductum ex declaratione quadam congregationis, in qua asseritur, quod familiares non necessarii illius personæ, cui conceditur gratia Oratorii, non satisfaciunt præcepto Missæ in diebus festis, licet gaudeant privilegio Apostolico illam audiendi tempore interdicti. Respondetur enim primo, quod non ostendit nobis arguens autenticitatem declarationis præcitatæ, qua indubium revocata, enervatur tota vis objectionis. Secundo dico, quod licet eam gratis supponamus, non derogat privilegium Bullæ concessum per modum contractus onerosi, cum de ea mentio expressa non habeatur. Tertio quod in Hispania non obligat propter consuetudinem contrariam a Prelatis toleratam, et præcipue a Vicario generali toletano, cui sunt Missæ Gaticæ litteræ, cum notitia ipsius declarationis. Ultimo habendum est præ oculis, quod recipiens secundam Bullam potest etiam facere, ut secunda Missa celebretur. Et cum eadem amplitudine discurrendum est circa Missam dicendam virtute Bullæ, diebus in Oratorio exceptis. Ex quibus inferitur, quod ad hunc dicendi modum, qui velut mediis reputari debet, non adigimur

ex verbo Missas, quod in Bulla reperitur, sed ex præinsertis fundamentis. Et hæc opinio sic temporata est etiam conformis pluribus probabilioristis, qui re bene perpensa, et attenta disciplina, quæ in nostris Regnis viget, adoptarunt hanc sententiam, quam nunc amplectimur, retractando aliam edit. Rom. quæ a paucis recipitur in Hispania. Videatur Dissertatio-Apologetica Compostellæ edita ann. 1776. in qua fuse, et efficitur comprobatur hæc opinio.

59. Inq. 3. Quid concedat Bulla in particula: *in sua ac familiarum, et domesticorum, ac consanguineorum presentia*? R. In ea concedi per Bullam aliquid negatum per indultum Oratorii. In hoc quippe solum datur facultas audiendi Missam, qua fiat satis præcepto Ecclesiæ a familiaribus seu famulis in actu Missæ moraliter necessariis Dominis. In Bulla vero conceditur posse satisfieri non solum a consanguineis Domini usque ad quartum gradum, sed etiam ab omnibus domesticis ejus, sive serviant, sive non, dummodo sint vere domestici, & Comensales. Qui omnes satisfaciunt præcepto Missæ, illam audiendo in presentia alicujus, vel Domini, vel Patris familias, qui Bullam sumpsit. Hic tamen sub levi orare tenetur, ut Pontifex præcipit, pro victoria contra infideles.

60. Inq. 4. An in dicto tempore interdicti habens Bullam, simulque Oratorium debeat in die festo audire Missam in eo, vel in Ecclesia? R. Quod si commode potest debet. Nam licet nemo teneatur uti privilegio, at supposito privilegio, tenetur implere præceptum quod, commode valet, sublato enim impedimento obligat præceptum. Unde clerici tempore interdicti tenentur celebrare, vel audire Missam. Nota tamen, hoc non intelligi in Ecclesia specialiter interdicta, in hac quippe nequit celebrari, nisi pro Eucharistia renovanda. Ideo nec ad sepeliendum corpus defuncti, qui Bullam sumpsit, Missa celebrari valet, esto valet in Ecclesia generaliter interdicta ad sepeliendum ejus corpus cum moderato funerali, ut ipsa Bulla concedit.

## §. VI.

## §. VI.

## De privilegio vescendi carnibus, &amp; lacticiis.

61. Inq. 1. Quid concedat Bulla circa esum carniū? R. Concedere illam sumentibus posse vesci carnibus omnibus diebus prohibitis intra, & extra quadragesimam ex consilio utriusque medici, corporalis nempe, & spiritualis. Hoc est illius viri, qui munus medici exercet in oppido, licet revera non sit medicus, sed chirurgus; & Confessarii approbati ab Ordinario. Nec sufficit unius consilium, ut sæpe fit illicitum; sed requiritur utriusque approbatio, seu declaratio, quia in Bulla expresse dicitur: *Ex consilio utriusque medici*. Unde uterque non pro libito, & corporis placito, sed matura circumspectione juxta profectum animæ, & regulas veræ caritatis debet dare consilium vescendi carnibus in dubio, an cibi esuriales sint alicui nocivi. Nullus eorum dispensat in precepto abstinentiæ a carnibus, sed utriusque consilio accedente, Papa est qui in eo dispensat.

62. Nemo, esto alias doctus sit, potest declarare in dubio suæ necessitatis; quia Bulla exigit utriusque medici consilium. Nec hoc privilegium, nec sequens de lacticiis habet locum extra dominia Hispaniæ, ut cavetur in ipsa Bulla. Nec requiritur pro pueris ante usum rationis, nec pro amentibus, nec pro actualiter infirmis, sed pro illis, qui dubitant, an habeant causam sufficientem vescendi carnibus in diebus prohibitis. Tenentur tamen edere solum carnes salubres, jejunare, & non edere pisces simul cum carnibus.

63. Inq. 2. Quid concedat Bulla circa usum lacticiiniorum? R. Concedere, posse illam sumentes edere ova, & lacticiina pro suo arbitrio omnibus diebus, in quibus sunt prohibita, ita ut, servando in reliquo jejunii formam, satisfaciunt præcepto jejunandi. Ab hoc autem privilegio excipiuntur Primatus, Patriarchæ, Episcopi, alique inferiores Prelati, & omnes Presbyteri, nec non & regulares utriusque sexus, nisi militares sint, aut sexagenarii. Unde regulares sexagenarii, & militares, ac omnes clerici, qui non sunt presbyteri, aut canonicatu, beneficio, vel peccatione

non potiuntur, accepta Bulla communi gaudent privilegio lacticiinis utendi. Pro Presbyteris autem, & aliis in illa exceptis, adest Bulla lacticiiniorum, qua illis vesci possunt in quadragesima, excepta hebdomada majori. Pro regularibus vero non datur Bulla lacticiiniorum.

64. Inq. 3. An regulares, & cæteri excepti valeant uti lacticiinis Dominicis quadragesimæ virtute Bullæ communis? Affirmant plures ex eo, quod Bulla latina excipit illos pro jejunis quadragesimæ; dies autem Dominici non sunt dies jejunii. At venia ipsorum oppositum censeo probabilius. Tum quia Bulla latina dum jejunia exprimit, loquitur de jejunis totius anni, & immediate addit: *etiam quadragesimalibus*, nempe temporibus. Ut si diceret, concedi per Bullam communem vesci ovis, & lacticiinis temporibus jejuniorum anni, & quadragesimalibus. Sed his clausulis datur facultas utendi lacticiinis in Dominicis quadragesimæ, quæ immediate tollitur Patriarchis, & cæteris in ipsa Bulla expressis: ergo hi nequeunt virtutem Bullæ communis uti lacticiinis in Dominicis quadragesimæ. Tum quia pressius id declaratur a Commissario, qui loquens de exceptione circa Presbyteros, & reliquos ait: *A quibus est prohibido comer bueos, y cosas de leche en tiempo de quaresma*: ergo non præcise in diebus jejunii, sed toto tempore quadragesimæ urget prohibitio. Dicere vero Commissarium non habere facultatem ita exponendi Bullam est voluntarium; dareque illi, aut ab eo illam tollere pro placito propriæ sententiæ, ut faciunt fautores oppositæ, alienum est a veritatis sinceritate, & a gravitate Theologiæ.

65. Confirmatur: nam quando præceptum est clarum, debet observari, quoties non adsit clara exemptio ab eo; sed præceptum abstinentiæ ab ovis, & lacticiinis in Dominicis quadragesimæ est clarum, & indubium apud omnes, quin adsit clara exemptio ab eo: ergo obligat, & observari debet. Non inficior, quod si præceptum præcipue humanum est obscurum, & dubium, possit aliqua gravi ratione affirmari non tenere pro his, aut aliis casibus, quia in obscuris minimum est sequendum. Verum quando præceptum est clarum, non sufficiunt quædam rimæ, aut conjecturæ ad illud



illud effugiendum, sed debent proferri fundamenta solida, & clara pro exemptione ab eo. Ex dictis sequitur regulares, & reliquos exceptos in Bulla teneri ad abstinendum a lacticiis in Dominica Palmarum, quod etiam negat opposita sententia. Cæterum si ad dictam abstinendam tenentur in aliis Dominicis quadragesimæ, potiori jure obstringuntur in Dominica Palmarum. Non est sermo de aliqua communitate, ubi ratione consuetudinis eduntur in dictis Dominicis ova, caseus, aut reliqua lacticia, quia ibi, non ratione Bullæ, sed in vi consuetudinis legitimæ, e di valent.

## S. VII.

## De Bulla compositionis.

66. Inq. 1. Quid concedat Bulla compositionis? R. Concedere eam summentibus facultatem se componendi de debitis, quorum dominus ignoratur, & ex omissione officii divini contractis. Hanc Bullam, ut fertur primus concessit Alex. XI. ad sedandas conscientias super rebus male habitis, quarum dominus omnino ignoratur. Ut autem dominus dicatur ignotus, pro illo inquirendo sufficienti diligentia præcedere debet. Si oriatur dubium, & facta diligentia idem dubium perseveret, juxta quantitatem dubii domino est satisfaciendum. Si dubium sit an, res ad unum ex duobus, vel tribus pertineat, non adest locus compositionis, sed eis poenitus est tradenda. Igitur solum fieri valet compositio de bonis, quæ alias Ecclesiæ, aut pauperibus erogari deberent.

67. Inq. 2. An aliquando possit quis uti compositione super bonis, quorum dominus non ignoratur? R. Tres excipi casus a regula generali. 1. Est, quando ex male habitis testator relinquat legatum alicui, & hic in exactione est negligens per annum a die notitiæ legati, sibi relicti. Tunc hæres potest se componere super medietatem legati, tribuere tamen debet aliam medietatem legatario. 2. Quando creditor, esto notus, adeo abest, ut res nequeat ad illum, aut ejus hæres mitti. In hoc enim casu, cum debeat piis operibus applicari, valet possessor se componere. 3. Quando est duplex sententia utraque vere probabilis, an res male habitata restitui debeat, ut adest

de iudicibus circa restitutionem eorum, quæ ob dandam injunctam sententiam extorsit, vel circa ea, quæ a parte etiam sponte oblata contra lege- accepit; & aliis hujusmodi casibus concedit Bulla posse componi pro majori conscientia securitate.

68. Inq. 3. Quid sit observandum pro legitimo usu Bullæ compositionis? R. Tres conditiones observari debere. *Prima*, quod nemo illicite quidquam acquirat ex confidentia se componendi per illam, quia huic minime suffragatur. Nec officit si obiciatur: quod pecans ex confidentia Bullæ cruciatæ potest absolvi reservatis, quos ex hac confidentia incurrit: ergo pariter, qui male acquirit in confidentia Bullæ compositionis, poterit se componere. Nam negatur consequentia. In prima enim Bulla non excipitur posse absolvi a reservatis ex tali confidentia perpetratis; in secunda vero expresse excipitur non posse componi bona ex tali confidentia illicite habita. Imo qui ex hujusmodi confidentia bona male acquisivi, debet integre ea tradere cruciatæ; ita quippe jubetur ipsa Bulla. Dicitur acquiri ex confidentia, quando hic movetur quis ad furandum, ita ut aliter non tolleret, aut acciperet, quod sibi non debetur; in quo differt ab auferente bona cum confidentia; quia tunc taliter accipiuntur, ut esto Bulla non adesset, eodem modo acciperentur.

69. *Secunda* conditio est, quod recipiatur Bulla, & nomen proprium in ea scribatur. Non tamen requiritur eam retineri nec custodiri; imo id non excipit, sed cito cancellari debet. Tertia, ut solvatur elemosyna pro ea taxata in Provincia respectiva, uti diximus n. 35. duplicando eam in compositione officii divini; ut ibi tradidimus.

70. Inq. 4. Quanta summa componi queat in vi hujus Bullæ? R. Posse accipi in uno anno quinquaginta Bullas, & cum unaquaque posse componi quinquaginta, & octo regales, & viginti octo marapetinos. Unde quolibet anno valet componi summa 2941. regalium, & sex marapetinorum, seu dipondiorum. At si major quantitas componenda supersit, nequeunt plures Bullæ accipi, neque illo anno, nec in sequentibus, sed debet recurri ad Commissarium, ut excessum componat. Possunt tamen accipi

## PUNCTUM I.

## De loco, qui dicitur purgatorium.

73. Inq. 1. An detur locus, ubi animæ in altera vita purgantur? R. affirm. Est de fide, definitum expresse in Concilio Florentino contra errores Græcorum, & in Tridentino contra Lutherum, qui fuit diligens suscitator omnium errorum. Hic igitur, & Calvinus cum suis asseclis negant purgatorium; olim negarunt pertinaciter Albanenses, Albigenes, Petrobrusiani, Waldenses, Armeni, & alii. Sed veritas catholica illud docet ex 2. *Macchab.* 12. ubi dicitur: *Sancta ergo, & salubris est cognitio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex his verbis patet 1. Animam rationalem esse immortalæ. 2. Animas in altera vita esse ligatas peccatis, idest, reatibus peccatorum. 3. Solvi suffragiis vivorum. Cum ergo nequeat hoc intelligi de damnatis, qui nunquam solventur, necessario fatendum est dari locum, ubi a reatu peccatorum purgantur, in altera vita animæ defunctorum. Hic autem locus dicitur purgatorium, qui licet hoc nomine non reperitur expressus in sacra pagina, nec antiquis Patribus, constat tamen, ex illis dari locum peculiarem ad purgandas animas in altera vita.

74. Inq. 2. An purgatorium sit locus determinatus, & ubi existat? R. Ex a generali ordinaria est locus determinatus infra terram prope infernum damnatorum. Ibi in centro terræ, vel circa illud, quod juxta Geographos distat a nobis versus proteritum mille & ducentas leucas, plus, minusve, sunt quatuor receptacula animarum. Primum est sinus Abrahamæ, vel limbus Patrum. Secundum limbus puerorum decedentium sine Baptismo. Tertium purgatorium, de quo loquimur. Quartum dicitur anthronomastice infernus, omnibus profundius, ubi damnati torquentur in æternum. Purgatorium igitur est locus determinatus ad levandas poenas pro reatibus debitas, licet in eodem loco sint quedam cavernæ aliis aliæ profundiores. Nec officit, quod aliquæ animæ patiantur, ubi peccavere, ut fertur de pluribus, vel in alio loco, ut dicitur in cap. 40. *Dialog.* D. Gregorii de S. Paschasio, qui in Thermis Au-

cipi aliæ Bullæ anno sequenti pro debitis contractis eodem anno. Si unus debeat viginti octo drachmas, & alius triginta, nequeunt ambo, unicam Bullam sumendo, se componere; quia una Bulla uni tantum prodest. Pariter si quis hodie debeat triginta regales, & sumat Bullam, hæc solum proficit pro illis componendis, non pro futuris debitis, si quæ contrabantur postea; nam ad ea requiritur nova Bulla.

71. Inq. 5. An si dominus rei appareat, facta jam per Bullam legitima compositione, debeat ei restitui, vel possit debitor tuta conscientia eam retinere? R. Posse debitorem retinere eam: quia Commissarius dicit, quod absque alia restitutione valeat eam possidere, eodem modo, ac si esset sua, vel juste acquisita; sed res juste acquisita potest retineri a possessore, etiam coram domino priori: ergo idem est de re legitime per Bullam composita. Sicut de bonis legitime præscriptis communiter asseritur, ac de debitis incertis inter pauperes distributis, vel piis locis bona fide applicatis. *quia bona fides non patitur, ut debitum amplius exigatur. Regul.* 83. *Juris.* in 6.

72. Confirmatur: quia Bulla tribuit facultatem hæredi, ut se componat in medietate legati supradicti, etiam presentis legatario, qui per annum negligens fuit in ejus exactione: ergo signum est, quod hic intervenit suprema potestas; sed compositio facta interventu suprema potestatis tenet, etiam domino comparente, ut in præscriptionibus patet: ergo idem est dicendum in præsentibus.

## CAPUT III.

## De suffragiis

**S**uffragia vivorum sunt quedam indulgentiæ defunctorum; ideo pro complemento tractatus de indulgentiis lubet addere aliquam notitiam suffragiorum, cum aliis dubiis eis annexis circa animas Purgatorii.

gularis cruciatur, quia hæc sunt ex speciali Dei ordinatione. Non est ergo de lege ordinaria alius locus ad purificandas animas de corpore egressas: nec purgatorium desideriorum, quibusdam assertum pro omissione desiderii eundem in cœlum, hoc enim caret fundamento; nec veræ Theologiæ consonat; vel enim illa omissio fuit culpabilis, & sic luetur in purgatorio communi, vel non fuit culpabilis, & sic non meretur poenam detentionis. Nec admitti facile valet alia poena, ab aliquibus excogitata, nempe ignorare animam, an sit electa, aut reprobata: qua vere horribili poena dicunt expiari sicut igne, vel amplius. Sed licet non repugnet, est tamen valde extra communem legem hæc ignorantia, quia anima iuxta a primo instanti suæ egressionis scit se amare Deum, vel saltem non odio habere, quod sufficit supposita doctrinæ fidei, ut agnoscat suam sortem; licet eam nesciret ex sententia finalis sibi data, aut ex novitiâ Angeli sibi delata.

75. Inq. 3. Quas poenas patiuntur animæ Purgatorii? R. Dux sunt poenæ principales illarum, nempe damni, & sensus, juxta duplicem reatum, qui in peccato reperitur. Primus est aversio a Deo, & huic respondet poena damni, sive privatio visionis Dei. Secundus est conversio ad bonum commutabile, cui respondet poena sensus. Porro poena hæc sensus adeo acerba est, ut ad eam indicandam deficiant verba, quia licet cum illa conferas craticulas candentes, & ignitas laminas, & ardentis fornaces, & metalla liquata, & aliæ tormentorum genera, parum, aut nihil sunt in ejus comparatione. Unde S. Aug. laudatus a D. Th. in *Suppl.* q. 100. art. 3. dicit: *Ille ignis purgatorii durior est, quam quidquid in hoc seculo poenarum, aut sentire, aut videre, aut cogitare quis potest.* Si ergo cogitari nequit, quomodo explicari valebit? Si noster hic ignis respectu illius est plectus, ut cum eodem Augustinoasserunt Patres, quid erit vivus, aut verus? Dolores passionis Christi Domini exarserunt sine comparatione dolores, & tormenta omnium martyrum, & tamen majora sunt tormenta, & poenæ purgatorii, ut innuit D. Thom. 3. p. q. 46. a. 6. ad 3.

76. Adde huic poenæ sensus poenam damni, quæ est major sine dubio omnibus

dictis, quia est privatio visionis Dei; poena autem privationis crescit juxta formam, a qua privat. Ergo cum forma, a qua privat, nempe possessio Dei clare visi, seu visio beatifica sit quasi infinita, erit consequenter hæc poena quasi infinita. Has poenas, quæ nec dici, nec cogitari possunt, patiuntur animæ in purgatorio, & plures est illis ob levissimas culpas, ut verba otiosa, mendacia jocosa, parvas distractiones, & negligentias in Ecclesia, choro, divino officio, inobedientias leves filii, vel subditi, parum somni, cibi, aut potus sumptum sine necessitate, aliæve minimas noxas, quia sicut capillus de capite non peribit ad præmium, ita etiam minimus inordinatus affectus non effugit poenam. Cum ergo facile eam vitare vales, exere vires, & cum tempus habemus, operemur bonum, non teramus illud in comessationibus, potationibus, ludis, jocis, & aliis inutilibus, quæ in purgatorio acerbissime puniuntur. Si illæ felices animæ haberent tempus, quod nos perdimus, quid agerent? Sed quid non agerent? Hinc cruciat illas alia poena gravissima nempe amissionis temporis, quæ poterant mereri plures gradus gloriæ æternæ, & simul vitare illas acerbissimas poenas ætibus veri doloris, devoto usu sacramentorum, & sacramentalium, quos ex sua ignavia, & negligentia in illo horribili carcere patiuntur, & a Dei visione misere arcentur, & privantur.

77. Inq. 4. Quomodo Deus, qui summe pius, & misericors est, punit adeo atrociter animas sibi prædictas? R. Ex triplici capite hoc provenit. Primum ex majestate offensi, ex malitia offensa, & ex neglectu, & pigritia offensoris. Quoniam ut dixit Deus S. Catharinæ Senensis, *Dial.* 3. Culpa tiam minima meretur poenas maximas, quia bonum infinitum, proculdubio satisfactionem exigit infinitam. Cum autem hoc sit verissimum, sumus homines adeo pigri in levibus culpis vitandis, & expiandis, quod Deus, qui est iudex rectus, nequit non eas punire, & extergeri placularibus flammis. Imo si in aliqua hypothese daretur animæ optio ingrediendi in cœlum, noller, nec auderet nisi abstersa, expiata, & munda ab omni ruga, & macula.

78. Dices, ergo voluntarie patitur, & ejus poena non erit adeo acerba, sicut dicitur.

tur. R. Voluntarie patitur ex suppositione. Damnati patiuntur in inferno violenti, & coacti; animæ vero purgatorii patiuntur conformatæ voluntati Dei. Sed hoc non tollit atrocitatem poenarum, sicut non substituit a Christo D. in cruce, nec ejus sanctissimæ matri juxta crucem.

## PUNCTUM II.

## Alia dubia circa purgatorium.

79. Inq. 1. An Dæmones cruciant animas purgatorii? R. neg. Quia æquum non videtur eos, qui fuerunt victi in hac vita, esse victores in altera, torquendo suos victores. Nam animæ justæ triumpharunt de suis inimicis: ergo istos, non est justum, esse earum tortores. Nec Angeli boni cruciant eas, sed ignis, ut instrumentum divine virtutis, quæ suplet proportionem, ut agat in spiritus bonos in purgatorio, & malos in inferno, ut docet D. Thom. in *Suppl.* q. 100. a. 5. & licet V. Palafox oppositum asserat in annotationibus ad quasdam animarum apparitiones egregie scriptis; valet intelligi de extraordinaria Dei lege, sicut de locis, ubi aliqua patiuntur, diximus.

80. Inq. 2. An sit licitum desiderare purgatorium? R. Hoc pendet ex motivo, a quo procedit. Si enim procedit ex ignavia, & torpore non curandi vitare peccata, etiam levia, lucrandi indulgentias, aut faciendi poenitentiam, relinquendo eam pro altera vita, sic desiderare purgatorium est reprehensibile, & illicitum, ac de talibus dicitur vere: *Nescis purgatorium, qui desiderat purgatorium*; Si autem procedat ex humilitate, & agnitione, quod quis meretur poenas æternas, & pro securitate beatitudinis, & nunquam amplius Deum offendendi, illumque in æternum amandi, sic desiderium purgatorii est licitum, & meritorium. Imo, quis adeo præsumere valet de puritate animæ suæ, ut absque transitu per purgatorium recta via vadat in cœlum? Ex piuribus animabus, quas S. Theresia vidit in cœlos ascendere, solæ tres via recta ascenderunt, reliquæ omnes a purgatorio transierunt, ut testatur in *vita.* 38. n. 23. Quia ille, cui non sunt oculi carni, nec videt, sicut videt homo, sed scrutatur Jerusalem, ani-

Tom. II.

mam justam, in lucernis, etiam minutissima conspicit, & nobis occulta, nuda, & aperta sunt oculis ejus. Ex hæc humilis, & seria meditatione eructavit verbum illud bonum venerabilis Ludovici a Ponte, dum dixit: *longum purgatorium mihi timo.* Ita refert V. Palafox ubi supra num. 53. ibidemque ait, quod S. Theresia cuidam moniali solebat sæpe dicere: *Filia, eruat me quantocius de purgatorio.* Quin, & ipsa humillima humillime postulat in prologo ad suas mirabiles fundationes, ut eas legens, recitet unam salutationem Angelicam in adjutorium, ut possit exire de purgatorio. Si sancti ita timent, quid præsumere valebimus peccatores?

81. Inq. 3. Quanto tempore detineantur animæ in purgatorio? R. Unum est certum, cætera incerta. Certum est detineri, cremari, torqueri quandiu satisfactione propria, vel satisfactione aliena non reddant usque ad ultimum quadrantem. De reliquo incertum est tempus exitus sui; latet enim sæpe etiam ipsas, ut indicant plures in supra laudatis, & aliis apparitionibus. Quod etiam patet ex facio, quod testatur S. Theresia de anima D. Bernardini Mendoza, qui ex devotione ad Matrem Dei donavit illi domum pro sua fundatione Vallisoletana. Obiit ille non multo post, morbo repentino correptus, & dixit Dominus Theresiæ, quod habuit misericordiam de illo ob domum donatam in honorem genitricis suæ; verum ex purgatorio non exiturum quoadusque prima Missa celebraretur, ut accidit. Unde habemus quantum æstimet Deus domus religiosas. Habemus etiam, quod illa anima, & aliæ multæ nesciunt tempus sui exitus ab illo igneo carcere. Sciunt utique, quod habebit finem, quo solutio, & spe carent præsciti, sciunt etiam suam sententiam, quæ quibusdam datur usque ad diem iudicii, aliis pro decem, viginti, aut triginta annis, aliis plus, aliis minus, sed per viscera misericordiæ Dei nostri suffragiis, & piis operibus prius exeunt, illuminantur, seu transeunt ad lucem æternam. Ubi pro suis benefactoribus continuo intercedunt.

Z

PUN-

## PUNCTUM III.

## De suffragiis pro defunctis.

82. Inq. 1. Quid sit suffragium? R. Potest definiiri, Est *Quoddam auxilium alteri prestitum pro remissione pœnæ temporalis*. Nam suffragari est ad modum, quo quis pius solvit pro alio debitore, ut liberetur, vel exeat a carcere. Unde, cum animæ justæ sint in carcere purgatorii, quin possint satisfacere pro reatibus culpæ, conceditur eis ex misericordia Dei modus exequendi prius, quam media satisfactio, & vi sola tormentorum exitum obtinerent. Deus enim, ut iudex rectissimus, non remittit debitum sine justa solutione debitoris, sive a se, sive ab alio præstita. Unde qui negant purgatorium, faciunt Deum injustum. Sed hæc est intolerabilis blasphemia, quam pariter profertur, qui negant animæ immortalitatem, licet hæc secunda sit gravior prima, hoc est, gravius delinquit negans immortalitatem animæ, quam negans purgatorium. Uterque tamen de justitia, & rectitudine Dei male sentit, & misere errat: *quia dulcis, & rectus Dominus. Psalm. 24.*

83. Inq. 2. An suffragia vivorum mortuis prosint? R. affirm. Est de fide contra errores hæreticorum, qui derident hoc inter alia dogmata catholicorum. Sed constat ex sacra pagina utriusque testamenti, ex sanctis patribus, & Conciliis œcumenicis. Prob. 1. Ex textu Machab. supra laudato, ubi dicitur: *Sancta ergo, & valubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Ex quibus plane constat suffragia vivorum prodesse mortuis. Prob. 2. Ex unione, & communicatione bonorum operum, quibus invicem gaudent omnia membra Ecclesie juxta illud *Psalm. 118. Patriiceps ego sum omnium timentium te, & ex communione sanctorum*, quam in symbolo profiteamur, cujus sensus est, *inter sanctos, sive justos, qui sunt membra ecclesie, esse mutuam communicationem, quatenus unus potest suis operibus bonis juvare alios*, ut quodlibet membrum ejusdem corporis juvat alia juxta Apostol. 1. ad cor. 12.

84. Objic. Unus quisque metet in altera vita, quæ in hac seminaverit, ut ait

Apost. ad Galat. 6. unumquemque etiam sequuntur post mortem opera sua, ut patet *Apocal. 14. Erg. nequeunt suffragia vivorum mortuis prodesse*. R. Concesso utroque antec. negatur. cons. quia opera facta pro alio, hujus fiunt suo modo, & sic valent ei post mortem: atque eadem ratione poterit metere, quæ seminavit, hoc est, meruit, ut alius pro eo seminaret. Satisfactio, de qua loquimur, est quædam donatio alteri sponte facta, ad quam sufficit voluntas donandi in eo, qui donat, & capacitas accipiendi in eo, qui recipit, quæ quidem supponitur in animabus justis. Ex quo sequitur suffragium uni applicatum, non prodesse aliis in ratione satisfactiois, sed tantum in ratione impetrationis, & applicatum pro pluribus minus valet singulis, ac si pro una sola applicaretur, quia cum sit finiti valoris, dividitur inter illas. Ita D. Tho. *suppl. q. 71. a. 13.*

85. Dices: Quando celebratur Missa pro uno defuncto, dicuntur aliæ collectæ, seu orationes etiam pro aliis: erg. R. Optime addi orationes pro pluribus in Missa, quæ specialiter dicitur pro uno, sed non adduntur, ut specialiter illis prosint, nec ut determinantur principaliter ad illos, sed, ut etiam illis oratio valeat, ita Angel. *ibi ad 2.*

86. Inq. 3. Quænam sint opera, quæ in mortuorum suffragium aplicari valeant? R. Sunt jejunia, elemosinæ, orationes, & quælibet alia, sive pœnalìa, sive jucunda, ut devota sumptio Eucharistie, maximum vero suffragiorum est sacrificium Missæ. Cum enim sit infiniti valoris, plus omnibus satisfacit pro reatu pœnæ temporalis, sive dicatur juxta officium diei, sive de *Requiem*. Quæres autem quomodo in ista dicatur in offertorio, *Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*, & similia, quæ nequeunt prodesse animabus, quia jam sunt secure, quod non absorbebit eas Tartarus? R. Præfata dici per anticipationem, seu *representative*, quatenus representatur tempus exitus animæ de corpore, ad modum, quo in consecratione calicis dicitur de sanguine, *effundetur*, quamvis tanto tempore sit jam effusus. Si autem quaeras, cur aqua in offertorio hujus Missæ non benedicatur? R. Quia aqua significat populum, & hæc Missa non tam pro populo, quam pro defunctis celebratur.

tur. Eademque ratione non benedicatur populus in fine.

87. Inq. 4. Pro quibus defunctis possint offerri suffragia? R. Circa hoc dubium hæretici multum a veritate aberrant, tum per defectum, tum per excessum. Alii enim nulla suffragia admittunt. Alii illa etiam pro dæmonibus fieri volunt. Alii solum pro hominibus baptizatis, esto damnatis, valere asserunt, & dicant omnes post diem judicii esse salvandos. In tot erroribus incidunt, qui, regulam fixam ecclesie catholicæ respuentes, traduntur in reprobum sensum. Nos vero captivantes intellectum in obsequium Dei, & Ecclesie regulam humiliter venerantes, credimus, & dicimus, quod suffragia solum pro animabus justis valent offerri. Non pro beatis, nec pro pueris, qui sunt in limbo, nec pro finaliter damnatis.

88. Objic. 1. Constat ex 2. *Machab. 12.* inventa fuisse apud milites cæcos in bello donaria idolis dicata, quæ lex prohibebat Judæis, & consequenter in peccato decesserunt; & nihilominus mandavit Judas pro eis offerri suffragia, erg. possunt hæc fieri pro damnatis. 2. Calvaria cujusdam Sacerdotis gentilis interrogata a P. Machario cujus fuisset, respondit esse dicti gentilis damnati, tamen oratione Macharii se, & alios juvari. 3. Oratione S. Gregorii fuit Trajanus suscitatus ab inferis, erg. R. Ad primum, quod jure belli poterant Machabei, ut victores accipere licite illa donaria. Vel etiam ex ignorantia legis; Vel quod, si peccaverunt, ante mortem poenituerunt; Vel potest dici, non omnes peccasse, non omnes damnatos fuisse, & sufficit obiisse aliquos in gratia, ut in communi offerrentur suffragia, ut fit etiam nunc, dum celebrantur sacra officia pro militibus cæsis in communi pugna. Ad 2. R. Illud juvamen non esse levamen a pœna, sed quoddam gaudium phantasticum. Ad 3. Quod, si vera est historia Trajani, non erat finaliter damnatus, ita de tribus objectis D. Thom. in *suppl. q. 71. a. 5.*

89. Inq. 5. An possint offerri suffragia pro Cathecumenis defunctis? R. affirm. Loquendo de suffragiis privatis, quæ quis offert, ut persona privata, quia ad hæc sufficit unio caritatis, voluntas operantis, & indigentia recipientis. Suffragia autem communia Ecclesie, sacrificium Missæ, aut indulgentiæ nequeunt illis applicari, quia non sunt membra visibilia per visibile sacramentum, nempe baptismum, illi conjuncta. Excipe casum, quo, quis putans se esse baptizatum, viveret, & obiret ut catholicus, & post mortem non fuisse baptizatum ex malitia baptizantis reperitur, quo in casu sepeliri deberet in loco sacro, & posset juvari suffragiis Ecclesie, ut decernitur ab Innoc. III. in cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato.

90. Inq. 6. An existens in lethali possit applicare suffragia defunctis? R. Sacrificium Missæ certum est proficere etiam celebratum in peccato, imo & peccando. Utinam nunquam acciderit! Sed cum accidit, proficit animabus. Idem est, licet non eadem certitudine, de aliis suffragiis oblati a pravis ministris, quæ, celebrata nomine Ecclesie, prosunt defunctis; de indulgentiis etiam superius diximus posse lucrari a peccatore, non pro se, sed pro animabus purgatorii, quia ponit conditionem postulata ad lucranda, & supponitur in gratia ille, qui ejus percipit fructum, vel cui applicatur. Ideo enim nequit peccator eam sibi lucrari, quia non est in gratia, erg. qui in gratia est, eam, sive ejus fructum optime lucrari valet: Ita eximus Suarez cum D. Th. *de indulg. disp. 53. sect. 4. n. 6.*

91. Inq. 7. An cultus sepulture prosit defunctis? R. affirm. Quatenus cera, oleum, & alia oblata cedant in cultum Dei, & juvamen Ecclesie, ministrorum, & pauperum. Juvat etiam, in quantum disponens sepeliri in tali Ecclesia, se commendat sanctis illius Ecclesie. Juvat pariter vivis sepulcrum pro infelione aeris vitanda, & servanda defuncti memoria, unde monumentum est quasi *monens mentem*, ait Angel. *ubi sup. a. xi.*